



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 157. Scripsit autem & titulum Pilatus. v. 19.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

§. 16. *Et cum eo duos alios hinc & hinc, medium autem Iesum. v. 18.*

Vt testes essent veritatis crucis & mortis Domini, vel potius figura eorum pro quibus Passio Domini est impleta. Vnus eorum quibus prodest Christi meritum; alter eorum qui sua culpa illud negligunt. Vtrique enim hominum generi se patiens dedit & salvatis & damnatis, sed hi sibi applicare per se derunt, isti apprehenderunt, idcirco medium eorum pependit, ut neutri esset remotus.

**A**Doro te Domine Iesu medium inter latrones; non uni te propinquior quam alteri agnosco. Damno hærefes quæ te solummodo pro salvatis passum comminiscuntur, teneo cum Romana Ecclesia pro omnibus esse mortuum, etiam pro omnibus tibi gratias ago.

§. 157. *Scrisit autem & titulum Pilatus. v. 19.*

Quia hominis per hominem exterminatio est adeo horrenda naturæ, ut ratio ægre id ferat, nisi urgentissima adsit causa, moris fuit semper apud veteres titulos apponere supplicia passuris, ut eo modo hi, qui iudicio non adfuerunt, summarie cognoscerent, non barbære & tyrannice, sed iustitia exigente reum esse damnatum. Idem igitur in titulo pro Christo scribendo spectavit Pilatus, nam quia ipse reus adeo fuerat celebris, ut mundus post illum curreret, & nullam mortis in eo causam invenerat, non potuit pro se prudentius agere, quam titulum sua sponte ascribere, etiam si isto tempore titulos ascribi exolevisset. Et quidem talem titulum, qualem scripsit, illo enim, uti videbimus neque utiliore, neque simul Christo decentiorem omnis hominum sapientia invenire potuisset.

**D**Eus meus, agnosco quod quicquid agant homines, tu per ipsorum consilia, etiam ipsa scelera tendas & pulchre pervenias ad tua sancta proposita. Disco etiam ex Pilato prudentiam, ut caveam scandala, in insolitis & extraordinariis actibus, & si aliquando insolita agere debeam, ut tunc rationes meas publicare non omitram, ut quies in animis proximorum conservetur. Da igitur Domine tam providam semper à me & cunctis fidelibus adhiberi cautelam.

§. 158. *Et posuit super crucem. v. 19.*

Provide & hoc Pilatus curavit ut titulus ille scriptus poneretur super crucem Domini, & non præferretur in pompa, quomodo apud Iapones fieri accipimus. Cum enim tres ducerentur, quis horum titulo illo in-

signi-